

mosa, quàm aut duo polita, aut unum ramosum & asperum, alterum verò lubricum: quamvis hæc ipsa difficultas major esse minorve possit, prout lac aquosum ac serosum magis vel pinguius fuerit. Quod verò non tam guttatim, quam filatim effluat lac, ubi semel cœperit, ex ipsa ejus partium ramosiorum majori cohæsione & implicatione deducendum est, quâ fit ut unæ ejus particulæ à subeunte ponderosiore aëre non possint ita divisæ, sicuti aqueæ, exprimi, quin alias successivè cohærentes unâ trahant & ita continuo filo profluant.

CONCLUSIO III. Sicut autem hæ nostræ conclusiones firmæ nihilominus futuræ sunt, si maximè ex globulis innumeris lac etiam constare & sanguinem &c. evicerint *Microscopia Leuenhockiana*, cùm nihilominus Phænomena imponant necessitatem admittendi subtiliorem adhuc filamentum & fibrillarum texturam, quibus isti globuli concipiantur impliciti: sic admissio semel posito superiùs de aquearum particularum lubricitate & aërearum ramositate, in promptu causa est, labentis ex tubo etiam erecto lactis in aqua, quod in aëre non effluxerat; quia sc. aquæ lubricæ portiunculæ ab incumbente sibi lacte, tanquam liquore ponderosiore, pressæ faciliùs viam inter lactis ramosas partes, quàm aëreæ pariter ramosæ, inveniunt, quâ possint ad tubi superiora eniti, tanquam leviores, & lactearum locum occupare.

Causa 3.
Phæn.

CONCLUSIO IV. Quòd enim à lactis majore pondere tota hæc res primariò dependeat, atque adeò in casu altero vini & aquæ illa translocatio à majori aquæ pondere, quæ vini, tanquam levioris, partes urgendo has in locum suum ascendere cogat, id vel ex eo judicare licet, quòd si vel tubulus aquâ plenus orificio suo lacti immergatur, vel ampulla vino plena super ampullam aquâ repletam statuatur, neutriubi tamen ejusmodi liquorum translocatio consequatur:

Causa 4.
Phæn.